



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 119. Montpensiæ, & Nemorsiæ Ducissarum jubilus post Regis mortem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

**Sæcul. XVI.**

A.C. 1589

hora pomeridiana, recitato quinquefimo psalmo animam exhallabat; postquam nonnisi trigesimum octavum ætatis suæ annum, decem Menses, & tredecim dies vixerat. Corpus ejus Compendii in Ecclesia sancti Cornelii usque ad annum Domini millesimum sexcentesimum decimum depositum quiescebat, postea vero in Templo sancti Dionysii sepultum fuit: porro cum ex Ludovica Lotharingica, quam anno Christi millesima quingentesima septuagesima quinto die decima quinta Februarii duxerat, nullas proles reliquisset, hinc Regni jus ad Borbonios utpote hæredes proximos devolvebatur, proin extincta erat stirps Valesiorum, qui per centum sexaginta, & unum annos a Philippo VI. cognomine Valesio Franciæ sceptrum rotaverant.

**§. CXIX.**

*Montpensieræ, & Nemoriarum Ducis  
jubilus post Regis mortem.*

*Mem. d'E-  
toile t. I.  
pag. 287.*

Quantumvis Rex nonnisi secunda post meridiem hora e vivis excessisset, mortis tamen rumor in vulgus jam matutino tempore die secunda Augusti spargebatur: ut ergo fœderati ob hujus Principis obitum lætitiam suam palam facerent, viridis coloris vestibus sese induerent.

induebant, Ducissa vero Montpenseria Sæcul. XVI.  
illum, qui præ ceteris prior hujus cæ- A.C. 1589.  
 dis nuntium attulerat, tam gratanter  
 exceptit, ut in ejus amplexum ruens  
 dato osculo diceret: „Salve sis amice!  
 „estne verum, quod nequam ille, ac  
 „perfidus, & tyrannus perierit? Ma-  
 „gne Deus! quanta afficiar lætitia: porro  
 „id unice doleo, eidem ante mor-  
 „tem significatum non fuisse, quod  
 „ego ipsum occidi jussi. „ Postea  
 ad Nobiles puellas suas conversa aje-  
 bat: „quid vobis videtur: nonne caput  
 „meum nunc tandem firmo nititur ful-  
 „cro, nam haud amplius titubat, prout  
 „antea semper nutare, mihi videbatur..„  
 Eodem momento eadem Ducissa Ne-  
 morsiam Matrem suam visum ibat, at-  
 que ambæ consenso curru per omnes  
 plateas, & foras, ubi populi concursus  
 erat, ambulatum venerant, adstantibus  
 inclamantes: „Bona nova, amici mei,  
 „bona nova, Tyrannus noster periit,  
 „nec amplius in Francia superstes est  
 „Henricus Valesius.., Quinimo referunt  
 nonnulli, quod Nemorsia ad Fratres  
 Minores unacum Montpenseria conten-  
 dens, ac supra Aræ majoris gradus stans  
 sermonem ad populum habuerit, ve-  
 spere autem ubique festivos ignes ac-  
 cendi jussi.